



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VII. Explicatur quarta Demonstratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Apostolus docet Hebr. II. Henoch translatus est, ne videat mortem. & quod tam ipse quàm Helias mortui non sunt, tamen morituri sint; clarè docent præter supra citatos, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, & Epiphanius.

IRENÆVS lib. 5. loquens de Henoch & Helia: *Dicitur inquit, Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, illuc (in Paradisum terrestrem) translatos esse, & manere &sq; ad consummationem, conspicantes incorrupti.*

TERTULLIANVS libro contra Iudæos, cap. 2. de Henoch sic ait: *Qui necdum mortem gustauit, & aternitatis candidatus.* EPIPHANIUS in Ancorato de Henoch & Helia sic ait: *Hi duo permanent in corpore & anima propter spem.* Hieronymus in epistola ad Pammachium contra Ioannem Hierosolymitanum: *Henoch, inquit, translatus est in caelum, Helias carnis raptus est in caelum, necdum mortui, & Paradisi iam coloni, &c.* AUGUSTINVS libro de peccato originali cap. 23. *Henoch, inquit, & Heliam non dubitamus, in quibus uari sunt corporibus & uiuere.*

CAPVT VII.

Explicatur quarta demonstratio.

QUARTA demonstratio sumitur ex eo, quod tantum est Antichristi persecutionem fore gravissimam & notissimam; ita ut cessent omnes publicæ religionis ceremoniæ, & sacrificia, quorum adhuc videmus. Quod illa vltima persecutio sit futura gravissimam; patet ex illo Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neq; erit.* Et ex Apocal. 12. legimus: *Tunc Satanam soluendum, qui usque ad illud tempus fuerat ligatus.*

De quo loco disputans AUGUSTINVS lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 8. & 9. dicit, Antichristi tempore Diabolum soluendum, & proinde tantò grauiorem fore illam persecutionem omnibus præcedentibus; quantò crudelius potest Diabolus sæuire solutus, quàm ligatus. Itaque, ait, tunc Diabolus omnibus suis & suorum viribus Ecclesiam vexaturum. Et Hippolytus Martyr in oratione de mundi consummatione, &c.

ne, ac Cyrillus Catechesi 15. dicunt; Martyres, quos Antichri-
stus occidet, futuros illustriores omnibus præteritis: quia
præteriti, contra homines ministros Diaboli; at futuri, con-
tra ipsum Diabolum personaliter grassantem pugnabunt. At
certè nihil tale experti sumus ab anno DC. vel etiam millesi-
mo.

Dicunt quidem hæretici, se magnam persecutionem ab ^{Inf}
Antichristo pati; quia interdum comburuntur aliqui de ipso-
rum numero: at quæ comparatio est talis persecutionis cū
persecutione Neronis, Domitiani, Decij, Diocletiani, & a-
liorum? Siquidem pro vno hæretico qui comburitur, mille
Christiani olim interficiebantur: idque in toto orbe Roma-
no exercebatur, non in vna solùm provincia. & cū modo
summa pœna sit, comburi hominem; tunc incredibilia, & di-
uerfissima tormentorū genera exercebantur. De quibus vide ^{Cornelii Taciti.}
Cornelium Tacitum in Nerone, & ex nostris Eusebium in
historia Ecclesiastica.

Scribit DAMASVS in vita Marcellini, supra XVII. millia
Christianorum intra vnū mensem à Diocletiano interfecta;
& Eusebius, qui tunc viuebat, scribit lib. 8. cap. 6. hist. ad eò fu-
isse omnes carceres plenos martyribus, vt nullus relinque-
retur locus facinorosis. in toto verò eo libro, tot martyrio
coronatos refert infra biennium, vt impossibile sit, numerū
eorum inire. ADDE, quod multò plures Catholicorum hære-
tici nostri occiderūt, his decem vel quindecim annis, in Gal-
lia & Flandria; quàm inquisitores combusserint hæreticorū,
fortè in centum annis. Iraque non possunt appellare hanc per-
secutionem, sed potius bellum ciuile. Nam, vt Augustinus
docet epist. 80. ad Hefychium, quando erit vera persecutio
Antichristi, solis Ecclesiæ filiis erit tribulatio, non autem eo-
rum persecutoribus; sicut tempore Diocletiani, & superiorū
Principum, Christiani solùm cædebantur, non autem etiam
cædebant.

Si verò persecutio dicenda est, Catholici potius eam pa-
tiuntur, quàm Lutherani & Calvinistæ. Catholici enim sunt,
qui ex multis puinciis eiekti, Ecclesias, patrimonialia, & ipsam
etiam patriam amiserunt; inuadentibus nimirum res alienas
nouis istius Euangelij Ministris: & vt diximus, & ex commē-
tario Laurentij Suriij, aliisque huius temporis historicis co-
gnosci

gnosci potest; multò plures Catholicorum, furor Caluini-
rum intra paucos annos absumpsit, quàm hæretici iudic-
Principum Catholicorum, abnegatæ fidei pœnas dederunt.

Quod autem illa persecutio sit futura notissima & ma-
festissima, probat Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei, cap.
ex illis verbis Apocalypsis 20. *Et cinxerunt castra Sancto-
rum dilectam ciuitatem.* His enim verbis significatur, om-
nibus profus impios simul futuros in exercitu Antichristi, & ap-
to Marte oppugnatos omnem Sanctoꝝ Ecclesiam. Non
enim sunt multi ficti in Ecclesia, qui tegetes malitiam suam
corde sunt extra Ecclesiam, corpore intus: *At tunc erunt
omnes,* inquit Augustinus, *in apertam persecutionem ex-
trebris odiorum.* Hoc sanè adèd non est impletum hoc tem-
pore, vt nunquam ferè fuerit maior numerus falsorum fi-
trum, & fictorum Christianorum: & adèd non est nota
manifesta hæc persecutio; vt nec illi, qui dicunt se eam posse
nec nos qui dicimur eam inferre, possimus dicere, quàm
cœperit.

Certè persecutio Neronis, Domitiani, atque alioꝝ
Principum Romanorum, ab Eusebio, Orofio, Sulpicio dili-
genter annotatæ fuerunt. neque est dubium quando cœpe-
rint, & quando desierint: sicut etiam de Christi aduentu, qui
verus & manifestus fuit, optimè scimus quando fuerit, & quibus
primùm manifestatus. Nec vllæ sunt inter nos de tem-
poribus primùm manifestatus. At hæretici, qui dicunt Antichristum venisse
iam per tot annos persecutionem exercuisse; tamen non
sunt proferre vnum auctorem, qui annotauerit quando An-
tichristus venerit; vel quibus apparuerit primùm; vel quando
inchoauerit persecutionem. & ipsi inter se ita dissident, vt
vnus dicat eum venisse anno C C. alius anno DC. VI. alius an-
no DCC. LXXIII. alius anno millesimo, alius anno M. CC.
vt non tam vigilantes loqui, quàm per quietem somniantes
deantur.

Denique, quod Antichristi tempore propter atrocitatem
persecutionis cessare debeat publicum, & quotidianum Ec-
clesiæ officium, & sacrificium, apertè docet Daniel. cap. 12.
A tempore cum ablatũ fuerit iuge sacrificium dies M. CC. XC.
Vbi omnium consensu loquitur de tempore Antichristi: &
vt exponunt Irenæus lib. 5. Hieronymus & Theodoretus in
hunc

*hæretici in ybat. A
dora. plurim. d. d. d.
+ t. t. t. t. t. t. t. t. t.*

hunc locum, Hippolytus Martyr in oratione de consummatione mundi, & Primasius in cap. II. Apocal. sensus est; Antichristum interdicturum omnem diuinum cultum, qui in Ecclesiis Christianorum nunc exercetur. ac præsertim sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium; Hoc autem signum nondum impletum, experientia testatur.

Ex quo tria colligi possunt. PRIMO, Antichristum nondum venisse: cum adhuc viget sacrificium iuge. SECUNDO, Romanum Pontificem non esse Antichristum; sed ei maximè contrarium: cum sacrificium, quod ille ablaturus est, hic maximè ornet & tueatur. TERTIO, huius temporis hæreticos, præ omnibus aliis Antichristi esse præcursores; cum nihil ardentius optant, quàm sacrificium Eucharistiæ penitus abolere.

CAPVT. VIII.

Explicatur quinta demonstratio.

QUINTA demonstratio sumitur à duratione Antichristi. Antichristus non regnabit, nisi tres annos cum medio: At Papa iam regnauit spiritualiter in Ecclesia plusquam M. D. annis, nec potest assignari vllus, qui sit habitus pro Antichristo, qui præcisè regnauerit tribus annis cum medio: non igitur Papa est Antichristus. Proinde nondum venit Antichristus.

Porro, Antichristi regnum trium annorum cum dimidio futurum, colligitur ex Daniele, cap. 7. & 12. Et ex Apocalypsi, cap. 12. vbi legimus; duraturum Antichristi regnum per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Nam per tempus, intelligitur vnus annus; per tempora, duo anni; per dimidium temporis, medius annus: Sic enim explicat idem Ioannes. Nam Apocal. 11. & 13. dicit, Antichristum regnaturum mensibus XLII. qui rectè faciunt tres annos cum medio. Et cap. 11. dicit, Henoah & Heliam prædicaturos diebus M. CC. LX. qui idem tempus efficiunt. Nam Hebræi vtebantur annis & mensibus lunaribus, etsi eos reuocarent ad solares, addendo sexto quoque anno vnam lunationem. Tres autem anni lunares cum medio faciunt rectissimè XLII. menses, siue M. CC. LX. dies; siquidem annus lunaris plenus ac perfectus, constat

constat